

De Eurip. Hypsip. POx 852 fr. 18 v. 6

F. 18 Euripidis tragoediae, quae Hypsipyle inscribitur, complures difficultates praebet neque, ut verum dicam, viri docti coniecturas obtulerunt, quae omnibus persuaderent. In primis dubium est utrum Hypsipyle ipsa an nuntius loquatur in versibus 1-6, quorum versus 1-5 quodam modo explanati sunt atque, licet exempli gratia, suppleti (Cfr. *Select Papyri, III Literary Papyri Poetry*, ed. D. L. Page, London 1962, p. 94). Tantum v. 6 obscurus manet:

παν[.] δια δρᾶσαι καὶ ῥυ[

Omnes qui Hypsipylae fragmenta ediderunt δια a δρᾶσαι se iunxerunt neque — quod mirum est — ullo modo versum supplere potuerunt. Grenfell et Hunt, editores principes, coniecerunt πάν[θ' ὄ]δια et πάν[τ' ἰ]δια, profitentes vero coniecturas illas nullius momenti esse. Novissimus autem editor G. W. Bond (Euripides, *Hypsipyle*, ed. by G. W. Bond, Oxford 1963), haec dicit: « πάν[τα] διαδρᾶσαι is possible, but διαδρᾶσαι, whether from δρᾶω or from διδράσκω does not occur elsewhere » (p. 99). Pro certo Graecorum sermo verbo διαδράω caret, sed non διαδιδράσκω, quod apud Herodotum, Aristophanem et Thucydidem invenimus. Quia δρᾶσαι a διδράσκω et apud Euripidem nuper legimus (*POx* 2458, fr. I, col. 3, v. 5; cfr. *Aegyptus* 1965, p. 153, n. I), nihil obstat quin in v. 6, fr. 18, *POx* 852 διαδρᾶσαι a διαδιδράσκω legamus. Ex. gr. legere possumus:

πάν[τη] διαδρᾶσαι καὶ ῥυ[

Fortasse feminae Nemeae, quae chorum agunt, territae δράκοντι, de quo superioribus versibus agitur, ad fugam inordinatam atque incompositam, ut vitam servarent, coactae sunt.

OLIMPIO MUSSO